

Ad  
Benebole audiendum,  
*ultimi speciminis loco,*

IIk  
3370

De

# BELLO CALAMARIO

s. JUDICIALI,  
VULGO

*Nem Feder Krieg/*

Craftini die post Sacra finita  
dicturum

Adolescentem florentis ingenii & paternae laudis  
acmulum perstrenuum

# JO. AUGUSTUM RICHTERUM,

ANNAEBERGENSEM,

*Propediem a nobis*

Ad

celeberrimum Jurisprudentiae reliquarumque Artium  
bonarum Sacrarium,

*Quod VITEMBERGAE panditur,*  
bonis omnibus abiturum,

AMPLISSIMOS

# SCHOLAE PATRONOS,

Utriusque Ordinis Patres spectatissimos, Venerandos Re-  
rum Sacrarum Antifitites & quotquot Musis nostris favent,

maxima observantiae & humanitatis significatione  
invitat

M. CHRISTIANUS FRIDERICUS VVILISCH,  
Lycei Annaemont. Rector.



ANNAEBERGAE LITTERIS RICHTERIANIS.



*Be appellatione et officio Advocati apud  
Veteres.*

**D**vocati ex hodierna loquendi con-  
fuetudine dicuntur ii, qui *vel* accusandi ali-  
quem in publicis Judiciis, *vel* defendendi partes  
tuentur. At longe secus, quam prima eaque  
uetustissima dicendilex praecipere videtur. Hi  
enim accusatores & defensores dicebantur *Caus-*  
*fidici, Patroni Causarum, & si illustriores essent, Oratores*, non autem  
*Advocati*, qui e contra amici erant reorum, rogati quippe, ut  
eis in judicio tantum praesentia sua adessent, quorum gratia  
judices mouerentur; prout mea quidem sententia rectissime  
nos edocuit B. *Cellarius* noster in Antiquit. Rom. p. 38. Testan-  
tur illud quam plurimi iisque optimi uerae ac genuinae latini-  
tatis autores. *Plautus*, Comicorum princeps, in *Epidic.* Aet.  
III. Sc. III. v. 4. *res magna amici apud forum agitur: ei volo ire ad-*  
*vocatus; & in Poenii Aet. III. Sc. VI. v. II. bonam dediſſis, Advo-*  
*catai, operam mihi: cras mane, quaeso, in comitio estote obviam; hoc*  
*est, estote mihi praefecto, ēποι ἀπαντάτε, quae adnotavit Donatus ad*  
*Terentii Phormion. Aet. II. Sc. III. adesse scil. causae, proprie-*  
*cuntur Patroni & amici: veteres enim amicos pro testibus & ad-*  
*vocatis posuerunt. Et quid Terentius noster, facetissimi ingenii*  
*comicus? Audiamus eum in Adelph. Aet. IV. Sc. V. v. II. ami-*  
*cus quidam me a foro abduxit modo buc advocatum sibi. Et v. 41.*  
*ridiculum! adversum illum causam dicerem, cui veneram ad-*  
*vocatus. Ulterius quoque eundem Terentium evolvendi nos*  
*provehit dulcedo, quippe in Eunuch. Aet. II. Sc. III. v. 46. ita non-*  
*nemo: cras est mihi judicium: quid tum? ut diligenter nuncies*  
*Patri, advocatus mane esse ut meminerit. Quin & ipse Roma-*  
*nae Eloquentiae parents, Tullius noster pro Cluent. c. 40. quis*  
*eum unquam non modo in patroni, sed in laudatoris, aut advocati lo-*  
*co viderat? Alii itaque erant Patroni, alii laudatores, qui melio-*  
*ra de accusato testabantur, alii advocati. Idem quoque L. II.*  
*de Orat. c. 74. saepe aliquis testis aut non laedit, aut minus laedit,*  
*nisi lacesatur, orat reos, urgent advocati, (nos scil. Causarum*  
*Patronos & Oratores, qui reis adstant,) ut invebamur, ut ma-*  
*ledicamus. Perspicue itaque advocati distingvuntur a caufa-  
rum patronis. Scite etiam idem L. I. de Officiis c. X. si confiuer-  
eris te cuiquam advocatum in rem praesentem esse venturum: ad  
quae verba ita commentantur viri doctissimi ex Asconio Pedia-  
no, nobili admodum *Vespasiani temporibus Grammatico, Di-*  
*vinat. Cicer. p. 20. qui defendit alterum judicio, aut Patronus*  
*dicitur, si Orator est; aut advocatus, si aut jus suggerit, aut praes-*  
*sentiam suam commodat amico: aut cognitor, (al. procurator)*  
*si praesentis causam novit, & sic tuetur, ut suam. Idem quoque*  
*Asconius alio loco: vel uti consulantur, convenientiadvocati; vel*  
*ut**

ut alterutri parti apud arbitros ad sint; vel ut ipsi judices in rem aliquam capiantur. Hinc *advocare* aliquem in *confilium*, facete ex consuetudine antiqua dictum a *Plauto* in *Mercat.* Aet. IV. Sc. IV. v. 35. fuisse autem Frid. *Taubmannus* in h. l. p. 763. Nam qui *judex* olim *captus* vel *datus erat*, *is sibi*, qui in *confilio* essent, amicos *advocabat*, ut verius & melius de re cognosceret, & *judicaret*. (*vid. Cic. in Verrem IV.*) iisque iisdem subselliis confidebant, ut & in Tribunal, qui a *Magistratibus* *advocabantur*. *Conf.* *Cic.* I. de *Orat.* Et hi dicebantur *judices*, quos *Praetor*, praeses quippe *judiciei*, non ut perpetui essent *Judiciorum* *assessores*, sed pro temporum diversitate, ex diversis ordinibus, forte legebat & *advocabat* ad certam aliquam caussam, ne pars litigantium male suspicari de iis possit. Hinc *Ciceron* pro *Milone* c. XVI. n. 44. *quos mihi dinina quaedam fors dedit judices*. De qua fortitione & subfortitione multa egregia habet laudatus modo *Aſconius*. Sorte itaque legebat ac in *confilii* *judicijque* *societatem* *advocabat* amicos, non *Praetor* solum, ut de re aliqua melius & *consuleretur* & *judicaretur*; sed rei quoque & *accusati* *advocabant* amicos, qui *advocati* ideo dicebantur, quod reis & afflictis solamine aequo ac auxilio in *judiciis* ad essent, & *Judicium* gratiam ipsis una efflagitarent. Proinde etiam *advocationes* Rerum Romanarum scriptoribus saepius nil nisi mora erant & spatium, quod a *judice* petebant *accusati*, dum amicos *advocarent*. Nam qui ad *respondendum* erant parum intructi, *advocationem* solebant petere, id est, moram & tempus deliberandi *advocandique* amicos, ut scite admodum B. *Cellarius* ad *Ciceronis L. VII. Epift.* VI. verba: *a singulis interregibus binas advocationes postulare*, adnotavit. Ad quem eundem locum J. Georg. *Graevius*, vir ὁπλῶν, ita dicit: *est & loquendigenus ex Jurisconsultorum Schola. Proprie enim unde petitur, postulare advocationem dicebatur, cum postquam petitor actionem edidisset, peteret a Praetore tempus deliberandi, velitne stare judicio, an facere, quid petitor postulabat.* Hoc tempus ideo dicebatur *advocatio*, quia tum amicos suos convocabat, cum quibus deliberabat, unde petitur, num velit causam excipere ac jure experiri, nec ne. Hidicebantur *advocati* proprie, & tempus *advocatio*. Ita enim *Seneca Prooem. L. IV. Contr. tanta illi perturbatio fuit, ut advocationem peteret.* Hinc *advocatio* pro quavis mora. *Seneca Consolat. ad Marciam c. X. nibil de boda-erna die prouiditur: nimis magnam advocationem dedi: nihil de ho-va:* & *advocare* itaque est, moras negere. *Plinius L. V. Epift. 8. ideoque interim veniam, ne a forensibus verbis recedam, advo-candi peto, hoc est, moras negendi.* Hinc etiam *advocatio*, quae *Græcis παρεκλησις*, saepius ipsam talium virorum multitudi-

Vd 18

dinem & comitatum denotabat. Sic *Livius* L. III. c. 47. *Virginius* sordidatus filiam suam obsoletaveste, (habitus enim reorum erat squalidus, adjunctis lacrimis, ut judices ad misericordiam moverent, vide Cic. post Redit, ad Quirit. c. III. ubi sordium & squaloris multa est mentio, adde pro Ligari. c. XI. ubi mutatio vestis memoratur, & *Gellium* L. III. No. 8. At. c. 4.) comitatus aliquot matronis cum ingenti advocatione (id est, ingenti advocateorum comitatu & multitudine, ) in forum deducit. Videmus itaque primaevam & antiquissimam advocate & advocationis significationem. Posterior tamen actas, prout *Ulpianus* L. I. §. 10. ff. de extraordinariis cognitionibus, & ex eo P. Manutius in Comment. ad *Ciceronis* L. VII. Epist. X. p. 306, fufius tradunt, ad ipsam causarum actionem voces *Advocati* & *Advocationis* transtulit, & advocateorum nomen etiam caussidicis adsignavit. Ita enim *Svetonius* de illuſtr. Grammatic. c. XII. in advocatione quadam, (nam & interdum cauſas agebat) follocifimum ab altero factum usque adeo arguere perseveravit, quod *Cassius Severus*, interpellatis judicibus, dilationem petiit. Et *Tacitus*, auctor gravissimus, in Proem. Dialogi de oratore c. I. sic ait saepe ex me requiris, *Iustus Fabi*, cur cum pri-ora saccula tot eminentium Oratorum ingenii gloriaque effluerint, nostra potiſſimum actas deserte, & laude orbata, vix nomen ipsum oratori retineat. Neque enim ita appellamus nisi antiquos. Horum autem temporum derti, Caſſidici, & advocate & patroni, & quidvis potius, quam oratores vocantur. Nec non *Lukanus* in Anacharside Ἰος των γραψες f. advocates describens, Ἰος ὑπὲρ δάλων εὐτραγος vocat. Quid, quod *Casp. Barbius*, at quantum nomen! in Advers. L. XLVII. c. IV. f. 2190. advocates quoque dictos postmodum eos fuisse docet, quos Summi Imperatores ac Reges certis provinciis, oppidis aut locis praeficiebant, ut ex auctoritate & vice velut ipsorum Principum lites & controversias, quae incidissent, dirimerent, & contra ius facientes poenis dignis competerent, eosque etiam contra aliorum insultus defenderent. Exinde etiam *Advocatis*, uxor *Advocati* cuiusdam *Alsatiae*, qui hodie dicitur *Landvogt* in *Eisbū* in *Chronica Dominicanorum Culmariensium* dici inuenitur. Sed haec hactenus de primaeva & genuina Advocati denotatione. Nunc de praemissis ejus, & officiis virtutibusque dicere nonnihil gestiebam. At instituti memori, dicam nunc breviter, cuius gratia suscepta haec a me scriptio fuit. Abi-  
tum summa Scholii nostri parat, quod faustum & Parentibus ejus honoratissimi exoptatum esse Praepotens Numen jubeat! adolescens *foro* & *eloquentiae*, ut cum *Tacito* in loquar de Orat. c. 34. & quicquid *Mafuri* notat rubrica, felicitor posthac *parandus*, qui patrem natus est, Virum forensis eloquentiae fama in Montibus nostris celebratissimum arque Consultissimum, JO. AL-  
GUSTUM RICHTERUM, juris utriusque Licentiatum & litterarum huma-  
niorum, praeter saeculi nostri mores, sautorem perstudiosum. Hic filium suum hunc natu maximum, domestica disciplina jam probe imbutum, honestissi-  
que studiis, nostro ductu qualicunque, edoctum, ad Vitembergenses Justiciae Statores & vindices, Bergerum & Hornium, magnos illos iurium omnisque prudentiae Dictatores, Vernberum, Beirum, Grubnerum, illustria nomina!  
*Nacrium*, *Leffserum* atque *Schroeterum*, Deo duce atque comite, deducere prope-  
diem animo statutum secum habet ac deliberatum. Hos sectari, hos prosequi,  
horum omnibus distinctionibus velificari, sibique pro certo per vadere jubetur, hoc  
pravum malignumque ex *Plinii* mente (L. I. Epist. 16.) esse, non admirari viros ad-  
miratione dignissimos, quia videre, adloqui, audire, complecti, nec laudare tantum,  
verum etiam amare contingat. Hic autem prius quam hinc deproperet, more in-  
stitutoque veterum, ultimi speciminis loco de *Bello Calamario seu Judiciali* non  
invita Minerva contextam orationem publice craftini die post facra finita habebit, insimulque  
ultimum Musis nostris proclamabit Vale. Ad quam dicendi celebritatem quam officiosissime  
inuito, & pro benebole navanda audiendi opera, perpetua gratiani studia nullumque non  
officii genus spondeo sancte & promitto.

P. P. VII. Calend. Octobris A. R. O. clob cc XI.

MC

Ad  
Benevole audiendum,  
*ultimi speciminis loco,*

De

II k  
3340

# BELLO CALAMARIO

*s. JUDICIALI,*  
VULGO  
*Dem Feder-Krieg/*

Craftini die post Sacra finita  
diaturum

Adolescentem florentis ingenii  
aemulum perfreni

# JO. AUGU RICHTE

ANNAEBERGE

*Propediem a no*

Ad

celeberrimum Jurisprudentiae re

bonarum Sacrariu

*Quod VITEMBERG*

bonis ominibus abitu

AMPLISSIMO

SCHOLAE PAT

Utriusque Ordinis Patres spectatissi  
rum Sacrarum Antistites & quotquotmaxima observantiae & humani  
invitat

M. CHRISTIANUS FRIDER

Lycei Annaemont. Re

ANNAEBERGAE LITTERIS RI

Be appellat  
Veteres.